

520
20

Z. n. 18.



18. iij.



15
VOTA CONNUBIALIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM AN-
GARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAFII THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ
ET UTRIUSQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ CO-
MITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DYNASTÆ
RAVENSTEINII &c. &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRICII NOSTRI LONGE CLE-
MENTISSIMI AC MUNIFICENTISSIMI

CUM
SERENISSIMA PRINCIPE AC DOMINA

DOMINA
**LUDOVICA
CHRISTINA**

DUCE SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM AN-
GARIÆ ET WESTPHALIÆ ET RELIQUARUM DITIONUM
PRINCIPE AC DOMINA CLEMENTISSIMA

D. XI. MAJI MDCCXII. FACTA

IN ANNIVERSARIA SOLENNITATE

VOTIS PIISQUE ACCLAMATIONIBUS
PROSEQUENDA INDICIT

ET

AD ORATIONEM SOLENNEM

IN AUDITORIO ILL. AUGUST. MAJORI D. XI. MAJI MDCCXXIII.

GRATIOSE BENIGNEQUE AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS, UTRIUS-
QUE REIPUBL. PROCERES CÆTEROSQUE LITERARUM
FACTORES NEC NON ILL. AUG. CIVES

OMNI OBSERVANTÆ ET HUMANITATIS CULTU

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.

CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AUGUSTEI RECTOR ET P. P.



Inter admiranda Dei opera lucidissimum SOLIS sidus emicat, & sua magnitudine Terræ molem multis numeris modisque superat. Hoc המאור הגדול *Luminare magnum* appellatur Gen. 1, 16., & creatum est à Deo היום הששי in dominium diei, ut pullis tenebris diem faciat, annum metiatur & temporum discrimina ponat, & calore suo omnia recreet atque foreundet. Magna ergo temeritate Anonymus quidam nuper in Anglia in libro, quem inscripsit: *An Inquiry into the Nature and Place of Hell* i.e. Scrutinium Naturæ & Loci infernalis, qui Londini 1714. prodit, hoc splendidissimum Cœli corpus in tenebras, & orbis totius ornamentum utilissimum in infernum convertit. Postquam enim de n̄s infernali multas sententias congestit, examinavit & non inrudite sepe refellit, hanc suam Orbi sententiam persuadere satagit: *INFERNUM ESSE IN SOLE.* Opera pretium erit, ut excerpta Lipsiensis quædam hujus sententiæ ex ejus Libro huc referamus. Remoto inferno ex terræ centro & peripheria, Anonymus alium locum in Sole querit, quem infernum & Damnatorum receptaculum sibi persuasit capacissimum. Capite 6. suæ sententiæ novitatem plorix exultat, Lectorique persuadere conatur, futura præmia & damna esse speculationis argumenta, quæ cujusvis libertati subjecta sint. Asseverat quoque neminem salutis damnum incursum, qui suas meditationes sine antecedentibus, concomitantibus & subsequenteribus virtutibus legerit. Argumenta tandem quibus persuasus est (si est persuasus) ut infernum in Sole collocaret, desumit ab ipsius Solis natura. Hunc fati candidum esse putat, quia omnis caloris fons est, & mare quasi igneum. Eundem quoque fati spatiosum esse ad recipiendam Damnatorum & Diabolorum multitudinem, quia Astronõmi jamdudum docuerunt, corpus Solare continere magnitudinem globi terrestris plusquam centies sexagesies sexies. Sux quoq; sententiæ inservire contendit, quod ex Pythagoræorum & Copernicorum mente Sol in centro Mundi, cœlum vero empyreum super omnium Stellarum Sphæram expansum supponatur. Uti enim in empyreo Beati habitant, tanquam in supremo loco: Sic damnati in centro tanquam infimo & ab Emphyreo remotissimo loco. Ex omnium enim consensu Cœlum & Infernus sibi invicem opponuntur, uti virtus & vitium, Deus & Satanas, Angeli & Diaboli. Ex qua observatione distantiam Cœli & inferni explicat Luc. 16,

23. in Parabola Divitis & Lazari propositam. Huc quoque trahit, quæ antiqui de inferno *κάτω & ὑπὸ χθονός* tradiderunt; quæ tamen non ex eorundem mente, quæ Auctori nostro contraria, sed ex sua hypothesi explicat. Et ne quis objiciat; Solem uti terram esse comburendum ex 2. Petr. III, 10. supponit, Solem quidem esse combusturum terram, sed ipsum in conflagratione mundi non periturum. Tandem Mosen suæ sententiæ Patronum producit, quasi hic post Diaboli lapsum Solem creatum esse dixisset, in quem Diaboli conjecti sint. Existimat quoque Diabolum sui domicili memoriam, seduxisse Gentiles, ut adoratione Solis non tantum Deum negarint, sed & mentionem Diaboli venerari sint. Hæc est Doctissimi viri nova de inferni loco sententia, cui porro hoc addunt Collectores Actorum Eruditorum Lipsienses, Ann. 1715. p. 109. quod *macule Solares fortasse sint immundi illi Spiritus, qui ex Sole quandoque in terram nostram prospiciunt*. Ex instituto autem hanc novam Anonymi sententiam examinarunt Docti plures & exploserant. Vid. D. J. C. Hæfenngii & Ottonis disp. pec. &c. Nobis vix serio rem egisse Auctor videtur. Speculatorem agere ipsum voluisse haut obscure indicat, dum speculationum innoxiarum nomine Lectori cogitata sua commendat. Quis enim præterquam quod ludat, Solis ignem cum culinari componat, quid dicam de infernali igne *ἡ Φεσὴ καὶ ἀιηλίω* 2. Petr. 2, 4? An magnitudo Solis efficiat infernum magis, quam magnitudo aliorum siderum, quæ ipsum solem sua mole excedunt? An *χθονός, κάτω & ὑπὸ χθονός* hanc necessario relationem inferant, quæ est inter solem & cælum quod dicitur Empyreum? Et quis hodie admiserit Solem inferno loco esse positum? Vellem etiam, Anonymus ex Mose diem definitivisset, quo Angeli vel creati vel lapsi sunt: Post absolutam à Deo creationem certe adhuc erant omnia bona Gen. 1, 31. E. nondum erant angeli lapsi. Et quæ præterea hæc est argumentatio: Si angeliante creatura Solem creati sunt & lapsi, etiam in solem postea creatum tanquam in infernum conjecti sunt? Et quo doctore edoctus est Anonymus, Solem combusturum esse terram? Quomodo Sol relicto vortice suo cum terra conjungitur ad comburendam terram? Ubi hoc legitur? Ubi permanens Sol post Consummationem Seculi dicitur? Anne hæc omnia adseruntur contra Scripturam, in qua expresse legitur: Cælum & terra peribunt Ps. 102, 26. Marc. 13, 31. 2. Petr. 3, 10. Non ergo ab interitua eximendum est, quod Scriptura non eximit. Nihil etiam huc facit Gentilium adoratio Solis. Gentes enim Solem aliasque creaturas coluisse pro Deo & mutasse Gloriam incorruptibilis Dei in similitudine rerum corruptibilium novimus. Illas vero Solem adorasse, quod esset infernus & habitaculum Diaboli, non legimus. Nam alia etiam sidera adorantur & coluerunt. Neque constat Diabolum postulasse unquam, ut habitaculum suum adoraretur ab Ethnicis, aut eam ob causam ad Solis cultum Gentes perduxisset, ut Solem adorarent, quia receptaculum Diaboli infernus est. Profus ergo nihil attulit Speculator Anonymus, quo novam suam sententiam probatam daret. Neque istæ Anonymi speculationes adeo liberæ & innoxie reputari possunt, si contra Scripturam esse deprehenduntur. Scriptura Solem Luminare vocat, non *πῦρ* infernale. Scriptura infernum describit per tenebras: Sol vero lucidissimum sidus est. Infernus abyssus est *ἀβύσος ἀνεπιβίβητος & ἀνεπιμέτρητος* appellatur: Sol omnium oculis expositus est & quotidie magno hujus universi commodo & beneficio Dei oritur super Bonos & Malos Matth. 5, 45. Cælum & terra transibunt, peribunt, fugient, elementa combusti dissolventur & exurentur, ita ut *τῶσδε & ἐπισημασθῶσιν αὐταίς*. Quomodo ergo Sol supererit, & infernus est & erit? Quamobrem si ex scriptura *πῦρ* infernale in hac circumstantia loci definitum non potest, contra Scripturam aliquid fingere non debemus. Temeraria igitur est

est illa Anonymi sententia, qua ex Sole fecit infernum. Sed magis impium est, quando impij optimum & salutare generi humano institutum Dei, *CONJUGIUM*, quod pijs conjugibus *COELUM IN TERRA* esse potest, convertunt sibi ipsis *IN INFERNUM*. Quemadmodum autem superiori anno in hac ipsa Solennitate Connubiali Conjugium fortunatum, concors & pium piorum *COELUM ESSE IN TERRIS* adferimus: ita impraesentiarum recurrente auspiciousimo sidere hac Solennitate *Discors impiorum Conjugium INFERNUM ESSE IN TERRIS*, die *Hölle auf Erden*, ostendemus. Et ita quidem, ut contraria contrariis opposita elucescant magis atque declarent felix faustumque ac fortunatum Conjugium *Serenissimi Principis ac Domini, DOMINI CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Angariae & Westphaliae, Landgraffii Thuringiae, Marchionis Misniae, & utriusque Lusatie, Comitum Principis Hennebergae, Comitum Marcae, Ravensbergae & Barbie, Dynastae Ravensleini &c. &c. &c. Principis ac Domini & Nutritoris nostri longe Clementissimi & Munificentissimi cum Serenissima Principe ac Domina, DOMINA LUDOVICA CHRISTINA, Duces Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Angariae & Westphaliae &c. &c. Principe ac Domina Clementissima* initum. In hoc enim tot tantaque Pietatis & Amabilitatis & Divinae Benignitatis documenta in Universi hujus Ducatus commoda abundantissime redundantia existunt, ut jure meritoque in hac annua Solennitate SUMMO NUMINI Conjugiorum Statori omnisque Salutis Auctori gratias agamus devotissimas de faustissimo hoc foedere connubiali, eidemque salutem *SERENISSIMORUM CONJUGUM* porro votis nostris & precibus commendemus. Omnes igitur ac singulos, qui publica emolumenta ex splendidissimo *SERENISSIMORUM PATRIAE PARENTUM* Conjugio, Salute & incolumitate ad nos emanantia aestimare norunt, & Divina Nutritoris nostri Munificentissimi in Ecclesiam & Rempubl. in Literasque elegantiores & bonas artes merito grato pectore perpendunt, *Illustres Serenissime Aule Ministros, Utriusque Rempubl. Proceres, Literarumque Fautores nostrique Illustr. Augusti Civis*, qua decet observantia & humanitate enixissime rogatos cupimus, ut Gratiofa & benevola sua praesentia Panegyrii nostram ornare suaque pia votis nostris vota jungere ne graveatur. P. P. Dominica Exaudi
 Anno M DCC XXIII.

LEUCOPETRÆ,
 LITERIS GODOFR. ANDR. LEGII, AUL. ET
 AUGUST. TYPOGR.

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3


So.

Witt

2. C.







VOTA CONNUBIALIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAFI THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ ET UTRISQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ COMITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DYNASTÆ RAVENSTEINI &c. &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRICII NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI AC MUNIFICENTISSIMI

CUM SERENISSIMA PRINCIPE AC DOMINA

DOMINA
**LUDOVICA
CHRISTINA**

DUCE SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ ET RELIQUARUM DITIONUM PRINCIPE AC DOMINA CLEMENTISSIMA

D. XI. MAJI MDCCXII. FACTA

IN ANNIVERSARIA SOLENNITATE

VOTIS PISQUE ACCLAMATIONIBUS PROSEQUENDA INDICIT ET

AD ORATIONEM SOLENNEM

IN AUDITORIO ILL. AUGUST. MAIORI D. XI. MAJI MDCCXXIII.

GRATIOSÉ BENIGNEQUE AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS, UTRISQUE REIPUBL. PROCERES CÆTEROSQUE LITERARUM

FAUTORES NEC NON ILL. AUG. CIVES OMNI OBSERVANTE ET HUMANITATIS CULTU

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.

CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AUGUSTEI RECTOR ET P. P.

ari & autoritat. mire
clenti Festo Natali Se-
ac Domini & Nutricio-
is pia veneratione im-
Sapientia & Clementia
neque audiendam Illu-
literarumque Fautores
a qua par est obser-
enixissime rogo.

August. Typ.